

1227-1241 - SS Gregorius VIII – Inter Venerabilem [AD 1227-08-04]

<http://www.procasp.org.br/>

Inter Venerabilem (1227)

Dilectis in Christo filiabus... Abbatissae, et Monialibus Monasterii S.Pauli Spoletan. Salutem et Apostolicam Benedictionem.

1. Inter Venerabilem Fratrem nostrum Episcopum Spoletan. et ... Abbatissam Monasterii vestri mota olim super ipso Monasterio quaestione, cum Abbatissa proponeret, quod ipsius institutio Monasterii, et Cappellarum suarum Abbatissae loci ex longissimo tempore competebat; Episcopo asserente, quod auctoritatem instituendi, et confirmandi Abbatissam habebat; interdicenti Monasterium ipsum, et recipiendi censum, Procurationem, collectam, et alia, si qua vellet, ab eo secundum propriam voluntatem; et Abbatissa cum aliis in ipso Monasterio existentibus obedire tenebantur eidem.

2. Dilecti filii Prior, et J. Canonicus Sancti Georgii Spoletanensis probationes super hoc de Apostolico mandato receptas ad examen Sedis Apostolicae remiserunt,

3. quas dilectus filius Alatrinus Subdiaconus et Cappellanus noster de mandato bonae memoriae J. Papae Predecessoris nostri diligenter examinans comperit Abbatissam super Institutione praedicta intentionem suam legitime fundavisse; ac Episcopum defecisse in probatione census, Procurationum, collectarum, et aliorum, quae recipiendi pro suo velle se dixerat jus habere;

4. propter quod Institutionem eandem Auctoritate Apostolica ipsi Abbatissae, ac succedentibus eidem adjudicans, ab impetitione praefati Episcopi super censu, procurationibus, collectis, et aliis praelibatis sententialiter absolvit eandem;

5. confirmatione ipsius cum auctoritate interdicendi, et Regulari abedientia, prout ei de jure communi competunt, ipsi Episcopo reservata: cujus sententiam idem Predecessor noster auctoritate Apostolica confirmavit.

6. Cum autem ad exhortationem nostram, dum adhuc essemus in minori officio constituti, totaliter Domino vos dicantes Claustro perpetuo vos duxeritis includendas; propter quod dignum est, ut sicut Religione crevistis, in libertate crescatis;

7. et multoties sitis postmodum etiam contra praedictam sententiam molestatae; praesentium auctoritate statuimus, ut sine speciali mandato Sedis Apostolicae non possit Spoletanus Episcopus in Monasterium, et personas consistentes in ipso interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare; sed tantum annuo censu quatuor solidorum Lucentium; et Sacramentis Ecclesiasticis, quae sibi reservanda duximus, sit contentus.

8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis infringere etc. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incusurum.

Datum Anagninae, II. Nonas Augusti Pontificatus Nostri anno Primo.